

de *Cacilius* cognominatus est, Christianæ Religionis nomen dedit, mortuoque Donato, Carthagenensis Episcopus & totius Africae Primas ordinatus est anno Christi 248. ac pro Christo martyrium passus est sub Valeriano Imperatore, ejusque filio Gallieno anno Christi 258. Multa piissima Opera elegantissimæ phrasæ & Ciceroniano candori proximæ, in rem, & ædificationem Ecclesiæ edidit Sanctus Cyprianus. Complures tamen sub nomine S. Cypriani circumferuntur libri, qui omnium eruditorum calculo vel dubii sunt, vel omnino supposititii. Libri S. Cypriani dubii sunt: *Libri de spectaculis*. *De disciplina, & bono pudicitia*. *De laude Martyrii ad Moysen, & Maximum Confessores, & ad Novatianum*. *Duæ Orationes, una pro Martyribus, altera, quam dixissetur S. Cyprianus in die Passionis suæ*. Hæc, inquam, Opera S. Cypriani dubia esse colligunt viri eruditi post Erasmus ex nonnulla styli diffimilitudine. Libri vero, qui falso adscribuntur S. Cypriano, sunt isti: *Liber de Cardinalibus operibus Christi*. *Liber de Aleatoribus*. *Liber de Montibus Sina, & Sion*. *Carmen inscriptum Sodoma*. *Carmen aliud ad Senatorem Apostatam*. *Hymnus de Pascha Domini*. *Liber de singularitate Clericorum*. *Expositio in Symbolum Apostolorum*. *Liber adversus Judeos, qui insecuti sunt Christum*. *Liber de Revelatione Capiti B. Joannis Baptistæ*. *Liber de duodecim Abusibus sæculi*. *Liber de Cæna*. Hos libros viri eruditi, qui in discernendis genuinis SS. Patrum Operibus a spuris, & adulterinis diu, multumque infudarunt, S. Cypriano abjudicant. Pontius Diaconus, qui fuit tertii Ecclesiæ sæculi Scriptor, S. Cypriani, cujus fuit individuus Comes usque ad illius Martyrii diem, vitam conscripsit, quæ præfixa est S. Cypriani Operibus in Editione Pameliana.

D. Habuitne Ecclesia Orientalis in tertio Christiani nominis sæculo Episcopos doctrina, & pietate conspicuos, qui cum S. Cypriano conferri possint?

M. Habuit Ecclesia Orientalis multos in tertio sæculo Episcopos, qui doctrina, & vitæ sanctimonia floruerunt. Quos inter eminent S. Gregorius Episcopus Neocæsariensis, & a magnitudine patratorum miraculorum *Thaumaturgus* appellatus, cujus genuina scripta hæc sunt: *Panegyricus in Origenem*, cujus, dum esset Adolescens, auditor fuit, ab ejus tamen erroribus omnino immunis. *Metaphrasis in Ecclesiastem*. *Brevis expositio Fidei*. *Epistola Canonica*, & alia plures Epistolæ, quæ amplius non extant. Cætera Opera, quæ S. Gregorio Neocæsariensi tribuuntur, sunt supposititia. Ecclesiæ Orientali maximum itidem splendorem in tertio sæculo contulit S. Dionysius Episcopus Alexandrinus, qui plures Epistolæ ad faciendam disciplinam, & ad profligandas id temporis emergentes Hæreses scripsit, *Nepotem* assertorem erroris de terreno Christi cum Sanctis milenario Regno strenue impugnavit, & Sabellium Hæresiarcham damnavit. His duobus splendidissimis Ecclesiæ Orientalis luminibus addi potest *Firmilianus* Cæsareæ in Cappadocia Episcopus doctrina, & pietate insignis, qui ad S. Cyprianum de-

dijt Epistolam de Hæreticorum Baptisma, in qua paulo acrius ex zelo, quamvis non secundum scientiam, invehitur in S. Stephanum Romanum Pontificem. Sed hæc vitæ alioqui sanctissimæ macula fuit, quam penitentia expunxit. Unde Firmilianum Sanctorum cultu celebrat Ecclesia Græca, ut videre est in Menologio ad diem 17. Octob.

D. Hi sunt igitur omnes Scriptores, qui in tertio sæculo Ecclesiam suis scriptis illustrarunt?

M. Tres adhuc proferam tertii sæculi Scriptores Ecclesiasticos, quorum primus est S. *Dionysius* Romanus Pontifex, qui contra Sabellianos scripsit Epistolam, cujus insigne superest fragmentum apud S. Athanasium in lib. de Synodi Nicænæ Decretis: alia autem Epistolæ, quæ S. Dionysio adscribuntur, supposititiæ sunt. Alter Scriptor est *Pierius* Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter, & propter summam eruditionem atque sermonum elegantiam *Oyigenes junior* nuncupatus. Multos in Scripturam Sacram edidit Commentarios, & Homilias. Tertius denique Scriptor est *Anatolius* Episcopus Laodicenus, qui librum de *Pascha* conscripsit, qui adhuc extat. Hic igitur, si placet, Colloquio nostro de Scriptoribus, qui in tribus primis sæculis Ecclesiam suis lucubrationibus illustrarunt, finem imponamus, sitque istud proximi nostri Colloquii, quod agitabimus, argumentum: quamnam videlicet doctrinam, disciplinam, & moralem tenuerint, & observaverint tria priora Ecclesiæ sæcula?

D. Necessarium profecto, & perutile proponis argumentum, mihi que tam gratum erit, quam quod maxime, scire quam doctrinam, disciplinam, & moralem habuerint Christiani trium priorum Ecclesiæ sæculorum? Te igitur hoc de argumento edisserentem crastina luce lubenti animo auscultabo, mihi que in proponendis quaestionibus, quæ ad perdiscendam antiquitatem Ecclesiæ juvare poterunt, injuncto officio non defuturum me certissime promitto.

COLLOQUIUM VII.

De Doctrina, Disciplina, & Morali trium priorum Ecclesiæ sæculorum.

D. Hactenus in describenda historia trium priorum Ecclesiæ sæculorum selecta argumenta, quæ juxta præscriptum ordinem tractanda suscepisti, luculenta satis methodo, meumque ad captum accommodata digessim. Superest tamen, ad perfectum trium priorum sæculorum assequendam Historiæ Ecclesiasticæ notitiam, ut modo summam perstringas Doctrinam, Disciplinam, & Moralem Christianorum, qui in tribus primis Ecclesiæ sæculis vixerunt. His siquidem semel discussis, ac dilucidatis, quæ ad antiquitatem Ecclesiæ illustrandam maximi momenti esse nullis inficias ire potest, nihil amplius erit, quod ad plenam, & absolutam trium priorum Ecclesiæ sæculorum historiam desiderari possit.

M. Antequam rem adgrediar, velim sedulo advertas, doctrinam Ecclesiæ nulli vel minimæ mutationi posse esse obnoxiam, sed inviolabili sæ-

torum serie eandem omnino integram, & illibatam a Christi Apostolorumque temporibus ad nos usque jugiter fuisse conservatam, nec ullo pacto unquam defecuram. Tam quippe impossibile est, ut vera desinat Ecclesia, quam ut vera Ecclesia a doctrina, quam a Christo Domino accepit, ne latum quidem unguem desciscat. Ratio in promptu est. Quia si Ecclesia Fideles imbueret alia doctrina ab ea, quam Christus Dominus tradidit, tunc non amplius vera esset Ecclesia. Doctrina igitur Ecclesiæ mediis, & postremis sæculis æque sincera, & incorrupta est ac in primis: nec timet sortem, & conditionem rerum humanarum, videlicet rerum publicarum, legum & disciplinarum, quæ, quo magis a sua recedunt origine, eo etiam in dies pejorantur: sed potius, sicut eleganter ait *Vincentius Lirinensis*, doctrina Ecclesiæ annis consolidatur, dilatatur tempore, sublimatur ætate, nihilque permutationis admittit, nulla proprietatis dispensia, nullam definitionis sustinet varietatem. Christus itaque unicus omnium Gentium Doctor cælestem, quam e sinu Patris æterni hauserat, doctrinam suis Apostolis instillavit. Dein, Apostoli hanc Christi doctrinam per totum, qua late patet, Orbem disseminarunt, & fidei depositum custodiendum omnibus, quas fundarunt, Ecclesiis concediderunt. Postremo, eadem fidei doctrina ab Apostolis sata, atque propagata omni ævo tum Scripturæ Sacræ, tum perpetuæ, sibi que semper constantis traditionis beneficio, inviolabilis & irreformabilis, sicut loquitur Tertullianus, permansit in Ecclesia, quæ est Columna & Firmamentum veritatis, & cui, ut ait idem Tertullianus, *nemo prescribere potest, non spatia locorum, non intervalla temporum, non patrocini personarum*. Verum quidem est, Ecclesiam, postquam prodierunt Hæreses, majorem in mysteriorum explicatione adhibuisse sollicitudinem, novaque coepisse usurpare, & consecrare voces, quæ ad proscribendas exortas illas Hæreses, & ad stabilienda fidei dogmata perquam apposita, & necessaria vitæ sunt, sed nihilo secius eadem fides, sive ante, sive post ortum Hæresum stetit inconcussa, cui nihil plane additum, nihil detractum voluit Ecclesia depositi fidei pervigil custos. Licet ergo doctrina Ecclesiæ acceperit progressu temporis evidentiam, lucem, ac distinctionem, semper tamen retinuit plenitudinem, integritatem, proprietatem. Hanc autem doctrinam Ecclesiæ puritatem ne tantillum quidem labefactarunt, aut obscurarunt hi errores, in quos quidam Scriptores, & antiqui trium priorum Ecclesiæ sæculorum Patres proruperunt, quia nunquam Ecclesia ejusmodi errores suo fovit assensu, vel pravo illis favit silentio, sed eos potius suo indeficienti iudicio reprobavit, suosque omni ætate habuit Doctores, qui in istos errores infurrexerunt, & sanam doctrinam, qua nihil antiquius habebant, acerrime tuiti sunt. Id totum, quod hactenus dixi, facile perspectum habere poteris ex doctrina primorum Christianorum, quam hic compendiose subnectam, quamque si cum hodierna Christianorum doctrina conferre haud graveris, nullo negotio intelliges, ovum non esse ovo similis, quam doctrina pri-

morum Christianorum similis sit præsentis Christianorum doctrina.

At enim constanter docuerunt omnes primi Christiani, Scripturam Sacram, & Traditionem certas esse doctrinæ nostræ regulas, omniaque fidei nostræ mysteria, quamvis rationi omnino impervia sint, stabili tamen, firmaque fide esse credenda. Deum invisibilem, æternum, immortalem, omniumque bonorum, & perfectionum fontem esse dixerunt. De illius providentia, quæ latissima ad omnia protenditur, de potentia, bonitate, justitia, & misericordia frequenter juxta ac copiose in suis scriptis disseruerunt. Falsa Ethnicorum Numina, necnon crassos Hæreticorum plures Deos admittentium errores exploserunt. Deum esse supremum rerum omnium Conditorum, ac subinde materiam non esse æternam invicte propugnarunt, Sacram Divinarum Personarum in unitate essentia Triadem, divinitatem, & æternitatem Verbi, & Spiritus Sancti pronis animis adorarunt. Verbum divinum ab æterno fuisse in Deo; & istum adspicibilem Mundum per illum in tempore a Patre conditum esse, & gubernari crediderunt. Ejusdem Verbi Divini incarnationem professi sunt, & in Jesu Christo, quem verum Deum, & hominem agnoverunt, duas prorsus distinctas naturas, divinam scilicet, & humanam, nexu tamen indivisibili in unitate divinæ Personæ conjunctas admiserunt. Christum vera anima, veroque corpore in utero mundissimo Mariæ Virginis sola Spiritus Sancti operatione compacto præditum fuisse asseruerunt, ac subinde illum vere passum, ac mortuum fuisse, ut Genus humanum primigenia Protopatris labe perditum repararet, homines veritatis, & virtutis viam suo exemplo edoceret, illos e dira Diaboli captivitate ereptos in pristinam Filiorum Dei libertatem morte sua vindicaret, atque ad Inferos descendisse, & ad vitam propria virtute rediisse, denuo in extremo Judicio venturum post generalem corporum Resurrectionem, ut suprema, qua pollebit, Judicis auctoritate palpitantes coram suo Tribunali reos æternis pœnis addicat, Justos vero interminabili gloria, ac perpetua felicitate donet. Hæc fuit constans primorum Christianorum fides, quam omnes Orbis Ecclesiæ ab exordio acceperunt ab Apostolis, sicut diserte testantur Sancti Patres trium priorum Ecclesiæ sæculorum, quorum Opera in ultimo Colloquio ad Crisim revocavimus. Nec minus pura, ac recta fuit circa alia dogmata primorum Christianorum fides. Docuerunt siquidem, hominem e felicissimo innocentia statu sua culpa excidisse, & pœnam peccati, quo se, totamque sui posteritatem turpiter sedavit, donis gratuitis spoliatum fuisse, & in statu naturæ lapsæ ita elevatum, & sauciatum liberum arbitrium retinuisse, ut nisi divinæ gratiæ ope adjuvetur, nullum opus bonum vitæ æternæ exetere valeat. Necessitatem Baptismi, ejusque effectus comprobant. Virtutem, qua Spiritus Sanctus in Baptizatos per Sacramentum Confirmationis, quod statim post Baptismum conferebatur, invisibiliter illabitur, tribuerunt impositione manuum Episcoporum. Asseruerunt Ecclesiæ potestatem reconciliandi peccatores, eisque, postquam since-

finerant poenitentiam peregrissent, absolutionis beneficium impertiendi, Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi vere, & realiter esse in Augustissimo Eucharistiæ Sacramento nunquam in dubium revocarunt. Virginitatem ita laudant, ut tamen nuptias non improbatint. Martyribus debitum honorem detulerunt, & Beatissimam Virginem Mariam singulari veneratione sunt profecuti. Septem Sacramentorum numerum admiserunt, sicut colligitur ex unanimi Orientalis Schismatica, & Occidentalis Orthodoxæ Ecclesiæ consensione. Neque enim Orientales Schismatici cum Orthodoxis latinis in unam, eandemque sententiam circa septem Sacramentorum numerum conspirare potuissent, nisi illam ab antiquis, seu a primis Christianis accepissent. Hæc est in summa primorum Christianorum Fides, quam antiqui Patres, & trium priorum Ecclesiæ sæculorum Scriptores Ecclesiastici in suis scriptis stabilierunt, insculcarunt, & adversus Christianæ Religionis hostes totis ingenii, & eloquentiæ viribus vindicarunt.

Hic tamen sedulo advertas velim, antiquos Patres, & Scriptores Ecclesiasticos consulto quædam Mysteria, & Fidei nostræ dogmata, præsertim de Sanctissima Trinitate, de Sacro-sancta Eucharistia, & de aliis Sacramentis, oculis & auribus Gentilium, Judæorum, & Catechumenorum religiose occultasse, quorum profanationem metuentes ab iis abstinere in sermonibus, & sibi cavere, neque in scriptis suis de his agebant. Hinc Origenes lib. 1. contra Celsum, cum dixisset Celsus homo Ethnicus, & Christiani nominis hostis, *Christianos clam quidquid ipsis libet, vel facere, vel docere, sic ipsi respondent; deinde, quoniam sæpius nominat doctrinam clanculariam, coarguendum est hoc quoque: quando per totum Orbem notior est Christianorum prædicatio, quam Philosophorum placita. Quis Jesum e Virgine natum, Crucifixum ignorat? quis Resurrectionem ejus multis creditam, & denunciationem Judicii reddituri pro dignitate poenas Peccatoribus, & Justis premia? Quin, & Resurrectionis future Mysterium vulgatum est, tamen si videatur ab Infidelibus. Quæ cum ita se habeant, perabsurdum est doctrinam hanc vocare clanculariam. Quod vero quædam insunt, que non annuntiantur quibusvis, id non solius doctrine Christianæ proprium est, verum etiam Philosophicæ. Nam & illi exteriorem, & penitentiam doctrinam habebant, & alii Pythagoram audiebant contenti ipsius auctoritate. Alii secreta dicebant rationes non evulgandas in prophanos, nondumque purgatos. Enumerat Origenes dogmata, quæ palam prædicantur, nimirum Incarnationis, Passionis, & Resurrectionis Christi Domini, extremi Judicii, & Resurrectionis nostræ. At non loquitur de Sanctissimæ Triadis Mysterio, de Sacramento Eucharistiæ, & de aliis Sacramentis, quod illa ex iis essent, quæ non quibusvis communicantur. Hinc est, quod in primis Ecclesiæ sæculis Catholici Scriptores rarius, & obscurius de Sacramentis scripserint, neque de eorum numero recensendo solliciti fuerint, quamvis tamen, ut mox dixi, septenarium Sacramentorum numerum admitterent. Qua de re leges egregiam Dissertationem*

de *Disciplina Arcani*, quam edidit doctissimus Schelstratus. (a)

„ (a) Ad asserendam magis magisque arcani „ disciplinam addere hic juvat, Ecclesiam eorum „ sæculorum tam caute custodire consuevisse sa- „ cros libros, ut non nisi fidelibus vendi permit- „ teret. Hinc Manes provideri sibi volens de sa- „ cris libris, discipulos suos clanculo misit, ut si- „ mulata religione, quam profitebantur, Chri- „ stianos se mentirentur, eoque nomine sacros co- „ dices emerent, & obtinerent. Narrat hæc Ar- „ chelaus in celebri disputatione cum Manete „ agens de iis, quos Manes summiserat ad hos li- „ bros emendos: *Sumpto ergo aliquantulo auri mo- „ do abierunt ad loca, in quibus Christianorum li- „ bri conscribebantur, & simulantes se nuntios esse, „ Christianos rogabant præstari sibi libros ad com- „ parandum, & ut ne multa dicam comparant.*

D. Miram quidem in Mysteriis, & fidei Dogmatibus consensionem video veterem inter & præsentem Ecclesiam. Sed, si placet, crassiori Minerva expone mihi id quod modo obiter insinua- sti, videlicet antiquos Patres, & Scriptores trium priorum Ecclesiæ sæculorum in aliquot impigisse errores, quos postea confixit Ecclesia. Id quippe mihi haud mediocrem ingerit difficultatem. Nam si errarunt antiqui Patres, licebit unicuique ipsis erroris, & hæresis dicam scribere, ac subinde nutabit eorum in tradenda vera Ecclesiæ doctrina testimonium, quod tamen omnibus tam certum esse deberet, quam quod maxime.

M. Nihil plane derogatur auctoritati antiquorum Patrum, dum dicitur, illos in aliquot lapsos fuisse errores, quos ea ætate necdum proseripserat Ecclesia, & quos ipsi citra pertinaciam propugnarent; quamvis tamen siquis istos errores post solemne Ecclesiæ judicium postliminio revocare, & obstinato animo vellet in præsentia defendere, omni proculdubio in apertam incurreret hæresim. Hinc Vincentius Lirinensis commonitorio 1. cap. 11. de rebaptizantium errore, ejusque auctoribus & sectatoribus ita scribit: *O rerum mira Conversio! Auctores ejusdem opinionis Catholici, Consecratores vero Heretici judicantur. Absolvuntur Magistri, condemnantur Discipuli.* Nulla igitur Hæresis nota inuri debet Patribus, & Scriptoribus trium priorum Ecclesiæ sæculorum, qui ante definitionem Ecclesiæ in aliquos errores prolapsi sunt. Errare quippe humanum est, & exceptis solis Scriptoribus sacris, qui inter scribendum Spiritu Sancto fuerunt afflati, atque speciali ejus assistentia directi; nullum invenies, qui sit ab omni nævo immunis. Nemo, inquit Melchior Canus lib. 7. de locis cap. 3. *quantumvis eruditus, & sanctus, non interdum hallucinatur, non alicubi cacuit, non quandoque labitur. Sanctus vero is fuit, qui credidit ab Hereticis baptizatos esse rebaptizandos. Sanctus fuit, qui in Christi corpore & sensum poenæ, & dolorem fuisse negavit. Sanctus fuit, qui in Chikastarum dogma descendit. Sanctus fuit, qui viro ob adulterii culpam uxorem repudianti alterum matrimonium concessit. Sanctus fuit, qui animas piorum usque ad Judicii diem veram felicitatem ademitt. Sanctus fuit, qui animam Ade*

ante

ante corpus editam opinatus est. Sancti fuerunt, qui Angelos multos ante Mundum corporeum aternitatis creatos esse existimaverunt. Quid mirum igitur, si antiquis Patribus quantavis doctrina, & sanctitate præditis nonnulli inter scribendum errores obreperint, cum nihil sit ex omni parte beatum, nec aliquid tam felix, cui non sint suæ additæ labe? Sol ipse, quo nihil splendidius occurrit aspectui, suas plerumque umbras, sua patitur deliqua. Unde merito Baronius ad annum Christi 83. num. 227. ait: *Haud facile est invenire aliquem rerum Ecclesiasticarum tractatorem, qui, quantumlibet titulo sanctitatis, atque doctrinæ effulserit, non sit erroris alicujus arguendus.*

D. Si ita sit, nihil profecto gratus, ac utilis mihi accidere potest, quam si velis hic obiter istos indicare errores, in quos lapsi sunt antiqui Patres & Scriptores Ecclesiastici trium priorum Ecclesiæ sæculorum, ne videlicet legendo illorum Opera a veri tramite deflectam, & lolium cum tritico promiscue, ac temere confundam.

M. Hæretici, ut videre est apud Pseudo-Ministrum Dallæum in duobus libris quos edidit *de vero usu Patrum*, solent Sanctis Patribus, quorum auctoritatem parvi faciunt, multos affingere errores, a quibus tamen vehementer alieni fuerunt. An Catholici Doctores, licet vindicent Sanctos Patres a pluribus erroribus, quos ipsis Hæretici perperam impingere audent, ultro tamen fatentur, aliquot nævos & errores reperiri in scriptis Sanctorum Patrum, & Scriptorum Ecclesiasticorum, ita ut, si quis aliter sapit, inquit Melchior Canus loco mox a me laudato, nec sanis consiliis acquiescit, hic non sanctorum religione, sed sui ipsius amore capiatur, & sub veterum nomine novas opiniones invehere conetur. Tuæ igitur utilitati ut prospiciam, breviter hic nævos subjiciam & errores, quos in Operibus Patrum, & Scriptorum trium priorum Ecclesiæ sæculorum Catholici Theologi observarunt.

In primis Papiæ, qui fuit Scriptor primi sæculi, originem dedit errori de Millenario post Resurrectionem in terris Christi cum Sanctis futuro Regno. S. Justinus præter illum errorem, qui ipsi cum Papiæ, & nonnullis aliis Patribus communis est, videlicet de Sanctorum beatitudine usque ad ultimum Judicii diem procrastinanda, & de Millenario in terris Christi Regno, sensit insuper Apologia 1. cap. 44. Angelos prævaricatorum consuetudinem stupri cum mulieribus habuisse, & in hoc situm esse illorum peccatum. S. Irenæus suos itidem habuit nævos; nam præter fabulam de Millenario in terris Christi Regno, quam lib. 5. adversus Hæreses stabilivit, docet præterea lib. 2. cap. 39. Christum Dominum suum prædicandi ministerium exorsum fuisse, & Cruci esse affixum post quadragesimum, aut quinquagesimum ætatis suæ annum, quod certe cum Evangelio minime quadrat. Clemens Alexandrinus non solum in hoc lapsus est, quod lib. 1. Stromatum ait Christum uno tantum anno prædicasse, quæ sententia minus Historiæ Evangelicæ consona est, sed etiam in hoc erravit, quod lib. 6. Stromatum asserit, Christum ad Inferos descendisse, & sua prædicatione eos ad fidem convertisse, qui apud Gentes Philosophia duce,

recte vixerunt. Quæ opinio ab errore excusari non potest. Cl. tamen Antonius Arnaldus Doctor Sorbonicus in libro, quem gallice edidit: *de la nécessité de la foy en Jesus Christ pour être sauvé*, S. Clementem Alexandrinum, sicut & S. Justinum egregie vindicat ab illo errore, quem ipsis Casaubonus, & Montacutius affingunt. Tertullianus præter Montani Hæresim, quam amplexus est, multis sese implicuit erroribus. Primo, in hoc turpiter erravit, quod Animam corpoream esse dixerit, eamque ex traduce fieri senserit in libro, quem edidit, *de Anima*. Secundo, in hoc erravit, quod Justorum animas ante diem Judicii in Cælo recipi negaverit, & Regnum Christi per mille annos in terris post Resurrectionem futurum asseruerit. Tertio, Hæreticos omnes rebaptizandos esse docuit Tertullianus, secundas nuptias, tanquam supra damnavit, & fugam in persecutione licitam esse negavit, aliosque profudit errores tam in libris, quos in Hæresi, & contra Ecclesiam lucubravit, quam in libris, quos in gremio Ecclesiæ adhuc constitutus, & pro ejus defensione conscripsit. Quapropter, mirum non est, quod Gelasius Papa in Concilio LXX. Episcoporum Romæ habito Opuscula Tertulliani Apocrypha declaraverit, & quod S. Hieronymus hæretico Helvidio locum Tertulliani citanti, non aliter responderit, quam his verbis: *De Tertulliano non aliud dico, quam hominem Ecclesiæ non fuisse.* Idem judicium proferendum esse censo de Origene, cui ab antiquis Scriptoribus multi tribuuntur errores. Primo quippe asseruit lib. 1. *Periarchon*, seu *de Principiis*, Filium Dei Patre, & Spiritum Sanctum Filio esse minorem. Secundo, circumscriptam, ac finitam esse Dei potentiam effutit cap. 2. lib. 2. *Periarchon*. Tertio, docuit hominum animas ante corpora esse creatas, & tunc fuisse cælestes virtutes, quæ deinde ob peccatum, quo se contaminarunt, animæ evaserunt, quæ in corpora, velut in carceres quosdam supplicii causa immixtae sunt. Quarto, Animam Christi præexistisse itidem dixit, unitamque fuisse Verbo Divino ante Incarnationem, & Generationem ex Beata Virgine. Quinto, Christi Passionem Dæmonibus ipsis profuturam, quin, & Christum Dominum in futuro sæculo pro Dæmonibus, sicut pro hominibus, crucifixum iri somniavit. Sexto, futuram aliquando Diaboli salutem, & Dæmonum, impiorumque hominum supplicii finem tandem impostum iri affirmavit. Septimo, existimavit, Animas Sanctorum a virtute ad vitium rursus dilabi posse, quod cum fecerint, in crassioris corporis carcerem esse detruendas. Denique de resurrectione corporum pessime sensit Origenes. Ignem Inferni, sicut & narrationem Mosaicam de Paradisi Terrestris consitione ad sensum pure allegoricum detorsit. Astra esse animata putavit, & humani liberi arbitrii vires plus æquo extollendo, divinorum auxiliorum vim, & necessitatem sustulit. Quo fit ut erroribus Pelagianorum, & Semipelagianorum præluserit. Hæc tibi sufficere debent ad detegendos nævos, & præcavendos errores, qui reperiuntur in Operibus Patrum, & Scriptorum Ecclesiasticorum, qui in tribus primis sæculis florue-

flouerant. Nec enim necesse arbitror, te iterum monere, ut inter legendum Sancti Cypriani Opera ablineas ab errore de rebaptizandis Hæreticis, quem S. ille Doctor cum Firmiliano, aliisque Orientalibus Episcopis communem habuit, quemque damnauit Ecclesia, pro qua martyrium passus Sanctus Cyprianus labem hujus erroris suo sanguine lavit.

D. Præclare quidem hætenus doctrinam primorum Christianorum exposuisti, & ex nævis, seu erroribus, in quos antiqui Patres, & Scriptores Ecclesiastici lapsi sunt, probe intelligo, illos maxima cum reverentia, sed cum delectu tamen, & judicio a nobis esse legendos. Perge nunc, quæso, eadem breuitate cum claritate conjuncta differere de disciplina, quæ tribus primis Ecclesiæ sæculis obtinuit.

M. Non eadem est disciplinæ & Ecclesiæ doctrinæ conditio. Doctrina quippe Ecclesiæ, ut mox diximus, nec temporum vicissitudine, nec locorum distantia mutari potest, aut interpolari, sed plane inuariabilis jugiter perseverat. At, versa vice, non eadem semper viguit exterior in omnibus Ecclesiis disciplina, quia mutationi obnoxia est, & pro varietate temporum variari potest, quamvis spiritus Ecclesiæ in antiquæ observatione disciplinæ idem perpetuo sit, fixus plane & immobilis consistat. Disciplina, quæ in tribus primis Ecclesiæ sæculis viguit, simplex erat, eique sola Christianorum pietas aliquem conciliabat splendorem. Sanctus Justinus in Apologia, quam ipse Ethnicis Imperatoribus circa medium sæculum secundum obtulit, disciplinam, quam Christiani, suo, idest, crudelissimo sævientium persecutionum tempore, suis in conventibus observabant, sic describit. Primo, Christiani, inquit ille, *Synaxim agunt die qui Solis dicitur, seu Dominica. Secundo, omnes qui in Oppidis, vel Agris morantur, conveniunt in eundem locum. Qui locus, cum necdum extructa essent Christianorum Tempia aut Ecclesiæ, domus quædam privata esse debebat. Tertio, coactis omnibus, Commentaria Apostolorum, vel Prophetarum scripta leguntur. Quarto, post lectionem Præses de iis, quæ lecta fuerunt, sermonem ad Populum habet: Is, qui præst, admonet, & hortatur, ut ea, quæ lecta sunt, bona imitemur. Quinto, sermone facto, tum surgimus omnes, atque comprecamur. Sexto, sub finem precum nos inter nos osculo salutamus. Septimo, ei qui præpositus est fratribus, panis offertur, & poculum aqua, & vino temperatum. Octavo, ex iis, quæ cum gratiarum actione consecrata sunt, unusquisque participat, eademque ad eos, qui absunt, Diacono dantur perseveranda. Deservente persecutione, primi Christiani frequentissime, & ferme quotidie sacra Eucharistia pascebantur, sed vitam, moreque suos ad omnem pietatem, & Evangelii normam summo studio exigere satagebant, ut caelestem illum panem, qui est cibus grandium, mererentur cum fructu accipere. Post participatam Eucharistiam, Christiani, qui convenerant, Pauperes simul & Divites, Agapas, seu convivia in Ecclesia agitabant. Infan-*

tibus etiam lactentibus administrabatur Eucharistia, eorumque infundebatur ori Christi sanguis de sacro Calice. Dum grassabantur persecutiones, in manus Laicorum dari solebat sacro-sancta Eucharistia, quibus liberum erat eandem ad proprios lares deferre, & privatim aservare. Festos dies Paschæ, Pentecostes & Natalis Domini magna cum solemnitate celebrabant primi Christiani; diebus autem Dominicis a Paschate usque ad Pentecosten Deum stantes orabant. Signum Crucis sæpissime in fronte pingebant, dumque suas fundebant preces, faciem ad Orientem ut plurimum obvertebant, & hac de causa Ecclesiarum situs tum temporis ita disponebantur, ut ad Orientem spectarent. Rarus erat in primis tribus Ecclesiæ sæculis Imaginum usus, tum quia in Christianam Religionem exardecebat Gentilium furor, tum quia etiam plenis adhuc velis Gentilium erga Idola ferebatur superstitio, a qua Fidelium animos avocare necesse erat. Simplex, & absque ullo ornatu erat hic locus, in quo primi Christiani suos conventus agebant. Pro mortuis preces, & sacrificia offerebant; Sanctis Martyribus, quorum precibus homines in terris apud Deum juvari non dubitabant, vota nuncupabant, eorumque martyrii, seu passionis diem cum singulari lætitiæ significatione singulis annis recolabant, ut videre est in Actis primorum Martyrum editis a doctissimo P. Ruinari Congr. S. Mauri Benedictino.

Circa administrationem Baptismi hæc disciplinam observabant primi Christiani. In primis, Baptismi Candidati, seu aspirantes ad Baptismum, qui *Catechumeni* dicebantur, in duplici erant differentia, *Audientium*, scilicet, & *Competentium*. *Audientes* appellabantur hi, quibus differebatur Baptismus, donec melius essent dispositi, & plenius Mysteria Fidei edocti. *Competentes* erant illi, qui Presbyterorum cura jam sufficienter mysteriorum notitia imbuti, scriptis eorum nominibus præparabantur pietati & bonorum operum exercitio ad Sacramentum suscipiendum. Ad hos diriguntur S. Augustini sermones. Secundo, Baptizandi sacris undis ter immergebantur, cum invocatione Sanctissimæ Trinitatis, illisque eadem pene adhibebantur caeremoniæ, quæ modo in Ecclesia sunt usitæ, nimirum Catechismi, Exorcismi, Insufflationes, Unctiones Verticis, Scapularum, & Pectoris, impositio manuum Sacerdotis advocantis, & invitantis Spiritum Sanctum, quarum caeremoniarum Mysteria exponant antiqui Patres, præsertim Tertullianus in libro de Baptismo, & S. Cyrillus Hierosolymitanus in Catechesibus. Tertio, lac, & mel gustandum Baptizatis præbeatur. Quarto, tempora Baptismo, citra necessitatis casus, præfixa erant Sabbatis, seu pervigiliis Paschæ, & Pentecostes. Hos ritus circa administrationem Baptismi Ecclesia in tribus primis sæculis observabat, sed in eos, qui post susceptum Baptisma in aliquod grave, & publicum delictum erant prolapsi, severa disciplina animadvertebat; illos siquidem in ordinem pœnitentium redigebat, diutinis in pane, & aqua jejuniis, orationum frequentia, crebris vigiliis, omnium deliciarum abdicat-

tionem, aliisque id genus asperitatibus exercebat. Nuptias, convivia, balnea & hominum congressus ipsis vetabat, neque ipsis arma deferre, aut militare permittebat, nec eis pacem, aut reconciliationem indulgebat, donec quatuor celebres classes, seu stationes fuissent emensi.

D. Quid, amabo, sibi volunt quatuor istæ classes, seu stationes, quibus, juxta antiquam Ecclesiæ disciplinam, addicebantur illi, qui post susceptum Baptisma grave aliquod crimen commiserant?

M. Veteres Patres, sed præcipue Gregorius Neocæsariensis, & Basilius Magnus in suis Pœnitent. Canonibus, quatuor publice Pœnitentium distinguunt ordines. In primo debebant hi, qui *flentes* appellabantur, quique a foribus Ecclesiæ arcebantur, ut ad humum abjecti, sub dio, aut saltem in vestibulo, preces & lachrymas fundent, pulvis induti vestibus, cinere conspersi, saccis, & ciliciis cooperti. In secundo ordine erant *Audientes*. In tertio *prostrati*. Et hi tam secundi, quam tertii ordinis Pœnitentes intra fores Ecclesiæ admittebantur, atque in ea parte navis versabantur, quæ *Narthex* dicebatur; sed cum Catechumenis ante Missæ Offertorium foras expellebantur. In ultimo Pœnitentium ordine erant *Consistentes*, qui una cum fidei Populo ad finem usque Sacrificii in Ecclesia perstabant, Eucharistica tamen Communionem privabantur. Juxta igitur gravitatem criminis, quod quis post susceptum Baptisma patraverat, in his quatuor publice Pœnitentium ordinibus, seu classibus, aut stationibus pœnitentiam sibi ab Ecclesia impositam peragere debebat. Exempli gratia, S. Basilius id suis ad Amphilochem Canonibus præscribit *Mæchis* annos Pœnitentiæ publicæ quindecim, quatuor nimirum in ordine *Flentium*; quinque in ordine *Audientium*; quatuor, in ordine *Prostratorum*; reliquos duos, in ordine *Consistentium*. Quo expleto publicæ pœnitentiæ annorum cursu, ad reconciliationem & Eucharistiæ participationem admittebantur.

D. Terret me profecto tam severa antiquæ Ecclesiæ erga peccatores disciplina, sed an fuerit ubique observata, vel utrum tam dura ista, ac laboriosa pœnitentia Clericis in aliquod grave delictum lapsis fuerit, perinde ac Laicis, imposita? mox a te perdiscere vehementer cupio.

M. Fuerunt quædam particulares Ecclesiæ, quæ rigidiorum erga lapsos disciplinam sectantes, his, qui, post Baptisma susceptum, in idololatriam, vel homicidium, aut adulterium inciderant, pacem, & communionem Ecclesiasticam etiam in morte omnino denegabant; sed remissa paulatim hac severiore disciplina, primo adulteris, & homicidis, deinde idololatriæ crimine reis pacem, & reconciliationem sive in morte, sive post decursum præfixum publicæ pœnitentiæ stadium indulserunt. Quod spectat pœnitentiam Clericorum, distinguendum est inter Clericos majores, ac minores. Majorum Clericorum nomine, Episcopi, Presbyteri & Diaconi intelliguntur, & hi majores Clerici tribus prioribus Ecclesiæ sæculis publicæ pœnitentiæ legibus ex Ecclesiæ disciplina subditi e-

rant, sicut evincit doctissimus Joannes Morinus lib. 4. de Pœnitentia cap. 12. variis antiquorum Patrum, Tertulliani, Cypriani, aliorumque locis. Post tertium vero Ecclesiæ sæculum pœnitentia publica Clericis majoribus ex Ecclesiæ disciplina non amplius imponebatur; si eam tamen pietatis & humilitatis ergo postularent, Ecclesia illos pœnitentiæ publicæ addicebat, vel eos in Monasterio recludebat, ut toto vitæ suæ tempore pœnitentiam agerent, & laicalem dumtaxat Communionem susciperent. Alios Clericos minores non secus ac Laicos pœnitentiæ publicæ fuisse addictos, constat ex bene multis Histor. Ecclesiasticæ monumentis, quæ hic adducere necesse non est. Hi, qui aliquando pœnitentia publica perfuncti erant, Clericali Ordini nunquam adscribi poterant. Pœnitentia publica semel dumtaxat in vita concedebatur, unde illi, qui acta publice pœnitentiæ, in eadem, vel nova crimina relabebantur, ad quæ expedienda publica pœnitentia opus esset, secundum Ecclesiæ leges publicæ pœnitentiæ non amplius subdebantur. Hæreticos; vel disciplinæ Ecclesiasticæ osiores, aut perturbatores, aliosque projectæ conscientiæ homines excommunicationis fulmine percellerat Ecclesia, & illis, qui per suos Episcopos a societate Fidelium erant segregati, communionem ubique denegabat.

D. Quoniam de Clericis majoribus, ac minoribus sermonem obiter inieciisti, vellem, ut uberius hic explicares, quinam esset in primis Ecclesiæ temporibus Ecclesiasticorum Ordinum numerus? quam disciplinam antiqua observaret Ecclesia circa electionem Ministrorum? quænam essent eorum officia, jura, privilegia, & prerogative? quando nam cæperit Monachorum, & sacrarum Virginum institutum? Postremo, quænam jejunia observarent primi Christiani?

M. De his omnibus fuse juxta ac diserte diserit Cl. Pater Thomassinus Congreg. Oratorii Presbyter in libris, quos edidit de *Ecclesiastica disciplina*. Verum, quia forte ejusmodi libros vel ad manum non habes, vel eos legendi tibi non suppetit tempus, rem totam breviter ipse conficiam. In primis, convenit inter omnes Theologos, Episcopatum, seu Presbyteratum & Diaconatum esse Sacramenta divinitus instituta, ac subinde sacros illos Ordines jam inde a primis Ecclesiæ sæculis invaluisse. Præter Ordinem Diaconorum, quæ sacrum ministerium baptizandi, Evangelium legendi, & sanguinem Christi, Sacerdote absente, aut jubente, populo dispensandi concessum erat; institutæ fuerunt in primis Ecclesiæ sæculis *Diaconissæ*, quæ antequam annum ætatis suæ sexagesimum attingissent, ad id munus eligi non poterant, & quibus provincia instruendi feminas sacro Baptismi fonte abluendas erat præcipue demandata. De Subdiaconatu autem, & aliorum quatuor inferiorum Ordinum, scilicet Acolythatus, Exorcistatus, Lecturatus, & Ostiariatus institutione, & antiquitate liæ adhuc apud Theologos sub Judice est, quam hic dirimere non est mei præsentis propositi. Tonfuram vero non esse Ordinem, sed meram præ-